

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Exegesis

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

& transfigurabit corpus humilitatis vestrae configuratum corpori claritatis Christi, Philip. 3. v. 21. ut fulgeatis sicut splendor firmamenti, Dan. 12. v. 3. & sicut

Sol in Regno Patris, Matth. 13. v. 43. Id quod Deus omnibus nobis ex gratia, propter Christum largiri dignetur, Amen.

## DOMINICA XXI. POST TRINIT.

*Evangelium Joh. 4. v. 47 -- 54.*

### EXORDIUM.

**T**unica hyacinthina summi Pontificis Aaronis olim deorsum per circuitum malis punicis & tintinnabulis aureis ornata fuit: ut audiretur sonitus, quando ingrederetur & egrederetur Sanctuarium, in conspectu Domini, Exod. 28. v. 33. Confer Sir. cap. 45. v. 11.

Sicut igitur totum Sacerdotium Leviticum typus Christi fuit, velut id Epistola ad Hebræos ex ordine dilucidè exposuit: Sic & hæc aurea tintinnabula habent, quod præfigurent.

Aarone ingrediente & egrediente, tintinnabula audiebantur: Ita & Christus, summus N. T. Pontifex, in diebus carnis coram Domino ingressus & egressus est, nec saltem docuit sicut auctoritatem habens, Matth. 7. v. 29. sed & multa præclara miracula edidit, Matth. 11. v. 4. hæc quasi tintinnabula aurea fuerunt, quæ sonitum adedò jucundum ediderunt, ut homines certatim eum insecuti, necessitatem & calamitatem suam ipsi exposuerint, & auxilium atque liberationem impetrarint. Sicut nobis egregium exemplum proponitur in prælecta Pericope in Regio, qui procul dubio & ipse aurea tintinnabula

Servatoris & summi Pontificis hujus audivit, quomodo in nuptiis Canæ Galileæ aquam in vinum commutavit, & Capernaumi varios morbos curaverit: ideo quærit auxilium, ubi inveniri potest, utrum filius suus, qui febri ardente laborabat, & tantum non animam agebat, pristinae sanitati restitui possit.

Nos instituti nostri memores, videbimus

I. *Triplicem Querelam.*

II. *Triplicem Medelam.*

III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

*Exegesis.*

**I**N Phrygia duo fontes esse perhibentur, hac natura præditi, ut alter bibentibus sletum, & hinc κλειον, alter risum moveat, & hinc γελων appelletur.

Prælecta Pericope, non dissimilis his fontibus est. Ego, Vos mei! hauriam Vos Eleasarem imitantes, dicite: Inclina hydriam tuam, ut bibam, Gen. 24. v. 14. sic utrumque effectum sentietis.

Imprimis verò causam habemus lacrymandi & querelam repetendi, si spectemus

I. *Aulicorum ingenium.* Hic Regius sine dubio Officiarius regius vel præcipuus Officialis bellicus fuit, in aulâ Herodis, unde etiam stipendium suum habuit, & expressè βασιλικὸς; Regius vocatur. Quia igitur multa autoritate valebat, Christum sibi ex tempore opitulaturum putabat, propterea ait: Domine descende, priusquam moriatur filius meus. Nisi hic aulicus cruce pressus fuisset, vix ad Christum se recepisset, qui in aulis non magnoperè curatur. Hinc Poëta:

--- -- Exeat aulâ

Qui volet esse pius.

Quod Germani ita exprimunt: Lang ju Hoff/ lang jur Höllen. Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, 1. Cor. 1. v. 26.

Constantinus M. aliquando Aulicorum fidem probaturus, se religionem Christianam cum Gentilismo permutaturum, & idolis sacrificaturum simulavit, Ministris ut idem facerent, aut aula exirent, injungens. Continuò plurimi & præcipui à fide Christiana desciverunt, paucis exceptis, qui potius aulam relinquere, quam Christum abnegare mallent. Hos igitur Constantinus retinuit, & præcipuis præfecturis præfecit, apostatas verò aula expulit, inquitens: Si Deo fidem non habuistis, multò minus mihi fidem præstabitis.

Sic adhuc hodie in aulis Principum & Magnatum religionis parva ratio habetur, sed ad Domini fidem conformant se plurimi. Tum & verbi divini & Sacramentorum contemptus, luxus, superbia, comestatio, ebrietas, lascivia, & id genus ha-

gitia alia primas ibi obtinent, qui verò à malo recedit, prædæ patet, Esa. 59. v. 15. Rectè ergò Seneca: *Ut nemo doceat fraudis & sceleris viam, Regnum docebit.* Est enim aula, mendacii & ambitionis Gymnasium, ut Petrarcha scribit, inò Compendium ad infernum, Dan. 10. v. 13.

Hic Regius ex melioribus esse videtur, nec modò Christum quærit, sed & objuratus ab eo, debita reverentia eundem prosequitur, inquitens: Domine descende! Quod si hodie aulici ita exciperentur, procul dubio non dicturi essent: Domine descende: sed, num Consiliarius Regis es? quiesce, ne interficiam te, 2. Chron. 25. v. 6. sive ut Amasias ad Amos dixit: Heus tu videns, abi, fuge in terram Juda: & comede ibi panem, & prophetabis ibi, Amos 7. v. 12.

Aula igitur, quantum fieri potest, declinanda est, vel si officii ratio, in illa vivere, requirat, Deum unicè respicientes, nihil ad gratiam hominum faciamus, quo conscientia vulneretur, & Deus offendatur. Si peccaverit vir in virum, tùm judicant Dii; si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? 1. Sam. 2. v. 25.

Aulicam proindè vitam non exopta; sed in mansuetudine opera tua perfice, hoc superat omnia, quæ ab hominibus diliguntur, aut desiderantur, Sir. 3. v. 19. Benè vixit qui benè latuit. Fascinatio nugacitatis obscurat bona, Sap. 4. v. 12. & qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ, Sir. 13. v. 1.

II. *Asmodæi odium*, quod in Regulo hoc se exerit. Erat quippè ille vir opulentus, qui nullâ victus inopia laborabat: intereâ tamen non sine afflictione est: nam filium habet

habet gravissimo morbo laborantem, ut & mors ipsi imminere videatur. Hoc ita peccato acceptum ferendum est, quod Diabolus in mundum sevit. Inde enim derivantur omnes morbi, & tandem mors, quæ in omnes pertransit, quia omnes peccarunt, Rom. 5. v. 12. Hoc ipsum Deus post lapsum Protoplastis intimavit, Gen. 3. v. 16. seqq.

Idem hodie tenus familiare est omnibus hominibus, qui ab Adamo & Eva originem trahunt, tanquam ex uno sanguine, & inhabitant super universam faciem terræ, Act. 17. v. 26. Si acceperis uxorem, ait Paulus, non peccasti: & si nupsetit virgo, non peccavit. Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi, 1. Cor. 7. v. 28. Utique tribulationem carnis, ut sæpè hydræ aqua plenæ ex ordine dispositæ sint, repletæ usque ad summum, ut in nuptiis Canæ Galileæ imaginem ejus videmus, Joh. 2. v. 7. Afflictio succedit afflictioni: modò victus deficit, ut Christiani conjugum querelam ingement: quid comedamus, quid bibamus, aut quo operemur? Matth. 6. v. 31. modò morbis corripuntur, ut Medicis & Pharmacopolis impendendum, quod unciatim comparsum, & quidem sine salutari effectu, ut hæmorrhousa experta, Matth. 9. v. 10.

Modò filii degenerant, & parentibus amaritudo Spiritus sunt, uti Esau, Gen. 26. v. ult. & Absolon, 2. Sam. 15. v. 1. seqq. sive Asmodi operosus est, & animos exacerbatur, ut dissidiū oriatur, inter conjuges; uxor exprobrat viro miseriam suam. Tob. 2. v. ult. aut relicto illo scortatur cum aliis, Jud. 19. v. 2. Vir est sicut leo in domo suâ, Sir. 4. v. 35. & nil nisi rixas ferit, quasi liti-

gium natum esset cum illo, qualis Nabal fuit, 1. Sam. 25. v. 25.

Sæpè mors conjuges divellit, & ita alterutrum conjugum in luctum & squalorem conjicit. Et quis singula enarrabit, quæ piis conjugibus obvenire possunt? Hoc verò non esset factum, si Protoplasti in statu innocentia perseverassent, nec peccato obnoxii fuissent facti. Ideò peccato id acceptum ferendum, & principaliter Diabolo, qui peccatū in mundum introduxit.

Hinc multi, quò afflictionem ejusmodi effugiant, conjugium planè relinquunt: sed non perpendunt illi, quod Deus crucem piorum conjugum ita sanctificaverit, ut Deum diligentibus omnia in bonum cooperentur, Rom. 8. v. 28.

Asmodi quoque sine voluntate & permissu Dei nihil mali inferre potest, ut exemplum Jobi probat, Job. 2. v. 6. ideò & hoc Deo adscribendum, sine cujus permissione Dæmon infernalis ne pediculus quidem creare, Exod. 8. v. 19. nec in porcos migrare potest, Matth. 8. v. 31.

III. *Incredulitatis vitium*, quod valdè familiare hominibus est, ut non citius credant, nisi signa & prodigia viderint, ut Christus hinc Regulo exprobrat. Quod ergò tu facis signum, ut videamus & credamus tibi? dicebant Judæi, Joh. 6. v. 30. & Matth. 12. v. 38. Magister volumus à te signum videre.

Hodiè idem ferè accidit: Deus semetipsum sine testimonio non relinquit, Act. 14. v. 17. sed facit magna, & inscrutabilia & mirabilia absque numero, Job. 5. v. 9.

Ex vite, quæ lignum adeo fragile est, ut ex eo ne paxillus quidem fabricari possit, Ezech. 15. v. 3. liquor adeò jucundus

enascitur, ut Deum & homines latificet, Jud. 9. vers. 13. Hoc magnum est miraculum.

In ovo actu nulla est vita: & tamen si gallinæ supponatur, ut illa calore suo idem foveat, certo tempore pullus excluditur: nonne miraculum?

Quam miraculose homo in utero concipitur, formatur, & in lucem profertur? ut rectè David dixerit: Laudo te, quod stupendo modo & mirabiliter factus sum, Psal. 39. v. 14.

Quid dicam de Ecclesiâ, ejusque mirabili gubernatione? Nonne magnum miraculum, quod postremis hinc temporibus elevaverunt flumina, elevaverunt flumina vocem suam: elevaverunt flumina fluctus suos, à vocibus aquarum multarum, grandes fluctus maris, Psal. 93. v. 4. tamen Dominus, qui grandis in altis, dat naviculæ Ecclesiæ suæ in mari viam, & inter fluctus semitam firmissimam? Sap. 14. v. 4. & Ecclesiam suam contra portas inferorum hæcenus defendit, & defensus est, usque ad consummationem seculi, Matth. 16. v. 18.

Hoc experientia propria edocti sumus: Et tamen multi ad eò cæci sunt, ut id agnoscere nolint, sed fortuito fieri putent, sicut equi & muli, qui non longius prospiciunt, quam quæ in præsepi vident. Ideò Deus aliquando diem visitationis instituet, Ezech. 9. v. 5. & ejusmodi incredulos abjiciet in stagnum ardentem sulphure & igne, quæ est mors secunda, Apoc. 21. v. 8.

### De Secundo.

**S**equitur *Medela*, quæ fluit

I. Ex salutari crucis operatione. Hic Regulus Aulicus erat, & hæcenus Christum parùm æstimaverat: quod si ita perrexisset, in damnationem tandem incidisset. Nam extrâ Christum non est salus, Act. 4. v. 12. idè hæc afflictio ipsi salutare remedium fuit, cumque quasi è somno peccatorum & securitatis excitavit, ut verum Medicum & Magistrum salvandi indagaverit, quem & invenit, & per eum sanitatem filii, & salutiferam cognitionem salutis, pro se & totâ domo sua. Vexatio enim dat intellectum, Esa. 28. v. 19.

Quò magis aquæ diluvii elevatæ sunt, eò magis elevaverunt arcam, in sublimem terra, dum tandem quindecim cubitis altior aqua fuerit, super montes, quos operuerat, Gen. 7. v. 17. seqq.

Ita tribulatio nullum dampnum nobis affert, sed quando aquæ miseræ intraverunt quasi ad animam, ut infixi simus in limo profundi, & tantùm non operiamur à fluctibus, Psal. 69. v. 2. 3. hoc ipso à mundo & omnibus terrenis præservamur, ut quæ retrò sunt obliviscentes, ad ea, quæ priora sunt, extendamus nos ipsos ad destinatum scopum persequentes, ad brævium supernæ vocationis Dei, in Christo Jesu, Phil. 3. v. 14.

Wenzeslaus Rex Bohemiæ cum exercitu suo fusus & captus, cum quæteretur: quo animo esset? respondit: Nunquam meliori. Hæcenus enim humanis viribus innixus fuerat, jam verò in solo Deo confidebat.

Hoc vitio nos omnes laboramus, ut parùm de Deo in rebus prosperis cogitemus: idè, rebus adversis immisissis, inclamat nos Deus: Israël, non obliviscaris mei,

Esa.